



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De terrenorum cura despicienda, Sermo XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

ferat. Probant hoc pastores, qui dum supra gregem suum vigilant, gregis ipsum pastorem in praesepio inuenire, videre, tenere merentur & authorem, sed qua sit secunda & tertia vigilia requiramus. Sicut utique prima vigilia est sui ortus in carne, ita secunda est vigilia, qua nostra redit & resuscitatur in carne. Denique ut ad resurgentem veniat, annuus excitatur, & euigilat mundus. Tertia vigilia est illa, qua expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu: ut sicut ille resurrexit nobis, ita nos illi iam perpetuam resurgamus ad vitam.

De terrenorum cura despicienda, Sermo XXV.

Hodie Dominus euangelici gregis pusilla & terrena primordia quam blanda exhortatione sit consolatus, audistis. *Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Aufert spes anxias, dubios tollit euentus, omnemque propellit, & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. *Quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deiicit, ad egena deponit. Sed scire conuenit, pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste pater, quotidie te confidente cognoscis, cum clamas; Pater noster qui es in caelis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine peruidisti: ex nihilo fecit caelum, terram solidauit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola praeccepti authoritate, conclusit. Verum si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo. *Sinite paruulos venire*

Luce. 12.

Mat. 6.

Mat. 19.

venire

venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Esse in cælo mirum est: in cælo viuere, est maiestatis. Iam regnare in cælo quanti sit, sensus desinit æstimare mortalis, & tamen homo, quod æstimare non potes, percepisti, Apostolo sic dicente: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Et quod te mereri dubitas, habere te, & possidere iam cogaris confiteri. *Quid ergo cum terra illi qui possidet cælum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est iam diuina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis.* Sed videamus quod dat pater tantus consilium regnaturis. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Si victuros vos, si regnatos, si vos iã diuites esse creditis in supernis, vbi futuri, quò migraturi, vbi regnaturi estis: vos illa quæ vestra sunt iam præcedant: opes miseras misericordia compute: quæ humana sunt in diuina cõuertite. Et ne cui fortitan deesset euectio ad portanda illa quæ dimittitis, angariatus est pauper: ferunt pauperes onera nostra, & volētes ferunt: quia tali nõ deprimuntur pondere, sed leuantur. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, vbi fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Videris, quia pater iste ditare vult filios, non nudare. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Nouo modo, imò, cælesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit, acquirit. Quam cupit pecuniã perdurare, perpetuare sacculos diuitiarum; condita permanere, qui dicit, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Ecce docet auaritiã, qui cæperat suadere contemptum; *facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Et

1. Cor. 1.

qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quo te pertrahit amor tuorum? ut auarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet, audire: sacculos imperas: æternos thesauros, qui non deficient, vis parari, ut auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis quibuscunque paruulis sic agis. Namque & nos interdum nostris paruulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiorum: fallentes insipientiam, non desipientes affectum. Dixisti. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesauros non deficientes in cælo.* Sacculus cur paratur? Quid ibi claustra, vbi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, vbi fraudis suspicio non habetur? Si & in cælo sacculis opus est, cura non amittitur, sed mutatur. Domine, tu vidisti, quia in thesauris rota fides, tota spes in sacculis sit auaris: & ideo imputribiles in cælo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cælum, sequatur saltem sacculos suos. Auare, fac tibi sacculos, & fac iubente Deo: quia votis tuis annuit diuina maiestas. Sed fac tibi sacculos erogando, quia quicquid pauper acceperit, pater cælestis suscipit. Et vbi recondit? in cælo. Et ne forrè perdidisse te doleas vel vsuram, centuplum in cælesti scœnore recipies, quicquid in cælo paupere transmiseris perferente. Usura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti? Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dicis, esto quod debeat, quo exigente restituet? seipso, quia non potest ille mentiri: idem ipse est, & executor & debitor.

tor.

tor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo, quod tibi Deus dedit: maiora reddere vult, cum vult debere largitor.

De fideli dispensatore, Sermo XXVI.

Quod hodie dominus interroganti Petro respondisse legitur, per figuram ad Apostolos ipsos, ad doctores tantum: & ad eos qui Ecclesiis præsidet, dictum, multorum persensit auditus. Interrogat Petrus, *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Cui *Luc. 12.* respondit dominus: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus seruus ille, quem, cum venerit dominus, ita inuenerit facientem: verè dico vobis, quod super omnia qua possidet, constituet eum. Quod si dicat seruus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire, & coeperit percutere pueros, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Ecclesiæ quidem præfules ista quam primum similitudo constringit, sed hominem nullum, mortalem nullum prorsus eximit hæc figura, quæ dum loquitur ad dispensatorem, omnibus vno interrogante, respondit: Si est quisquam, qui à Deo nil acceperit, discussionem dispensationis, dispensatoris officium non timebit. Homo si hoc ipsum quod das, accepisti, accepisse te quod habes, quomodo tu negabis? De caelestibus conditis, de horreis diuinis rationem reddet, præstabit causas Ecclesiæ prorogator. Et quantò maius suscipit creditum, tantò maius se debitum non dubitat redditurum, dicente domino: Cui plus est creditum, plus exigetur ab eo. Et alibi: *Luc. 12.* Potentes potenter tormenta patientur. *Sapiè. 6.* Quantò altius ascenderit homo, lapsus, tantò altius cadet. Quid al-